



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Actus aliquis quare dicatur mortalis, vel peccatum mortale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

cer sumptus magnos in vestibus & annulis, & monilibus &c. facere: ideo si ornatus relatus ad personam est excessiuus in pretio, sine peccato non est. Communiter tamen videtur venialis huiusmodi excessus, superbus, stultus & vanus: non enim propterea equatur maioribus, quia ornatur pretiosè sicut maiores. Caput septimum ex scandalo, hoc est ex occasione peccandi: quia ornata superflue mulier mouet ad sui concupiscentiam. Sed si ex parte mulieris non est intentio prouocandi, nec sibi placet quod prouocetur aliquis ad sui libidinosum amorè, licet placet ei quod laudetur vt pulchra, & vana superfluitate, & fucose ornet, non propterea peccat mortaliter: quia alii peccant mortaliter ipsam adamando: est enim occasio accepta non data: quum lōgè pulchriorem Deus naturaliter proponat aliquam mulierem: quæ nulli dat occasionem peccandi, si exhibet se conspectui publico, ac per hoc multorum adamantium illam. Si vis diffuse hæc discernere, vide commentaria nostra in quæst. clxix. Secundæ Secundæ.

*Osculum potest esse honestum vna de causa & vitiosum altera.*

**O**sculum benevolentiae, bonum ac laudabile est iuxta morem patriæ inter quascunque personas fit. Osculum verò libidinis, nisi inter coniuges fit, est peccatum mortale: iuxta superius dicta de impudicitia.

*Actus aliquis quare dicatur mortalis, vel peccatum mortale.*

**P**eccatum mortale est, quod priuat in præsentia animam vita spiritualis amicitiae quæ est, seu esse debet inter hominem & Deum.

**H**omo enim qui est in gratia Dei, amat in veritate  
Deum



## Peccatum. 442

Deum plus quàm quamcunq; rem creatam, & e contrario amatur à Deo vt charus amicus. Quia ergo priuat hominem spiritali hac vita, quæ consistit in charitate, ideo dicitur & est peccatum mortale, & etiam quia facit hominem dignum morte æterna, hoc est perpetua separatione à vita cœlestis patriæ, adiuncta simul perpetua miseria. Consistit autem omne peccatum mortale in offensâ diuinæ amicitiae: quia quilibet peccans mortaliter, vel expressè, vel interpretatiue refutat Deum pro vltimo fine suo, & pro amico suo: dum mauult implere voluntatem suam quam Dei: & ideo Dauid dicebat Deo, Tibi soli peccaui. Et si hoc non penetras, vide ex contrario, quod existens in charitate præfert in amore suo Deum omnibus amabilibus, delectabilibus, honorabilibus, horribilibus &c. & sic videbis quod peccans mortaliter, ac per hoc amans aliquid aliud plus quàm diuinam facere voluntatem, remouet Deum à loco suo quem in corde illius habere debet: quia non præfert amplius eum omni amabili &c. sed illud in quo peccat mortaliter, plus facit pro tunc quàm diuinam voluntatem.

### *Peccatum veniale quare sic dicatur, & in quo differat à mortali.*

Veniale autem peccatum non infringit diuinam amicitiam: vt pote non contra sed præter diuinam existens voluntatem, non contra sed præter charitatem, non contra, sed præter diuina præcepta, & ideo veniam à Deo amico meretur: quemadmodum in humanis amicitis si quis displicens amico, saluo tamen amicitiae foedere acciderit, facile remittitur.

Pedagium illicitum, vide in verbo, Vestigal.

Sta-